

Dissertatio medico-practica inauguralis de vomitu ... / Eruditorum examini submittit Petrus Josselet.

Contributors

Josselet, Petrus.

Royen, Adrianus van, 1704-1779.

Publication/Creation

Ludguni Batavorum : Apud Georgium Wishoff, 1742.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dcup7dq5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO
MEDICO-PRACTICA
INAUGURALIS
DE
V O M I T U.

QUAM,
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Recloris,

D. ADRIANI VAN ROYEN,

MEDICINÆ DOCTORIS, EJUSDEMQUE FACULTATIS

UT ET BOTANICES IN ACAD. LUGD. BAT.

PROFESSORIS ORDINARIJ.

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
rite ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini submittit

PETRUS JOSSELET, Dordraco-Batavus.

Ad diem 4. Maji 1742. horâ locoque solitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud GEORGIUM WISHOFF, 1742

V O L U M I N I U M

ANNUALE DE L'ART DE LA

D. ADRIANI VAN ROYEN

MEDICINAE DOCTOR, EUGENIUS FACULTATIS
UT ET BOTANICAE IN ACAD. MED. BATAV.
PROFESSOR ORDINARIUS

PRO GRADU DOCTORATUS

Summius in Medicina Honoribus & Privilegiis
hunc se legitime comparere

PETRUS JOSSELET, Dordrecht Batavo.

APUD GEORGIVM WISHOFF, MD.

V I R O I N T E G E R R I M O

D. D. HENRICO JOSSELET,

APUD DORDRACENSES MERCATORI SA-
GACISSIMO, PATRI SUO CHARISSIMO;
OMNI FILIALI AMORE ET OBSERVANTIA
AD ROGUM USQUE COLENDO, OBSER-
VANDO

*Hanc Dissertationem ut & se
ipsum summa animi
demiſſione*

D. D. D.

PETRUS JOSSELET,

VIRI IN TERTIO

AD HENRICUM

APUD DORCHASTRIAS MERCATORES

GRACIOSISSIMO PATRI SUO CHARISSIMO

OMNIFIDELI AMORE ET OBSERVANTIA

AD ROGUM USQUE COLENDO, OBSE-

VANDO

V O M I T U

Obsequium & reverentiam




et fidem

et fidem

D. D. D.

PETRUS JOSEPHUS



DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA

INAUGURALIS

DE

VOMITU.

§. I.

Molestissimis & frequentissime occurrentibus pathematibus merito annumeratur *Vomitus*, qui Medicis audire solet *violenta per os expulsio*, primo eorum, quæ *œsophago, ventriculo, dein intestinis, & tandem etiam visceribus eo sese evacuantibus continebantur.*

§. II. Distinguitur *Vomitus* in artificialem, ope Emeticorum exhibitorum excitatum, & naturalem, (si ita nominare liceat) sine vomitoriis usurpatis contingentem, de qua ultima specie tantum agere nobis proposuimus.

A 3

§. III.

§. III. Naturalis (§. 2.) rursus dividitur (α) in Idiopathicum, cujus causa in ventriculo sedem habet; (β) in sympathicum, cujus causa aliis partibus inhærens in stomachum deferitur, aut eum in consensum trahit; (γ) in symptomaticum, nullum ægro levamen afferentem; (δ) in criticum, materiem morbosam evacuantem, insequente morbi vel magna imminutione, vel integra ablatione.

§. IV. *Vomitum* antecedere sæpius solent prostratio appetitus, fastidium cibi potusque, molestissimus sub scrobiculo cordis sensus tensivus, gravans, mordens, urens; laticis salivalis, muci oris, faucium patriumque vicinarum, largior excretio; quod phœnomenum *Seni Venerando* jam observatum, & adnotatum invenitur in *Coacis Prænotionibus p. m. 208*, ubi dicit, *qui vomituri sunt; prius illi salivant.* Quibus incrementibus oritur anxietas circa præcordia, inquietudo, dyspnœa, cardialgia aliquando molestissima: hisce frequentius junguntur capitis dolor gravativus, tensivus, scotomiæ, pallor faciei, quandoque rubor, labii inferioris tremor, nausea h. e. irritus vomendi conatus cum ideâ horroris; explosio materiæ flatulentæ, elastica, saporis odorisque ingrati, diversi, tandem subinde parca liquidi copia in fauces ejici solet.

Hæc molimina alternatim repetentia eo usque incrementis, augentur, ut tandem succedat vomitus materiæ variæ, pro ejus duratione, vehementia, diversa saburræ humorumque in primis viis præsentia, constitutione &c.

§. V.

§. V. Jam instituti ratio exigit, ut causas Eme-
seos proximas breviter inquiramus, quæ in duas
classes facilius intellectus gratiâ dividi posse vi-
dentur, quarum prima causas in ventriculo, oeso-
phago & intestinis, altera in partibus vicinis cir-
cumjectis positas continent.

§. VI. Primæ classis (§. 5.) causa ventriculo in-
hærens videtur esse perversus motus peristalticus,
qui in statu naturali, ab ore ventriculi superiori len-
ta & successiva fibrarum muscularium contractio-
ne versus pylorum, & hinc porro per intestino-
rum tractum, deduci solet, jam autem a pyloro
itinere plane contrario versus Cardiam convulsi-
ve tendit, quo cavitas stomachi multum immi-
nuitur, contrahitur, ejus contenta valide premun-
tur versus orificium sinistrum, eoque aperto in oe-
sophagum expelluntur, cujus, ut & faucium, fi-
brarum muscularium convulsivâ contractione ac-
cedente ulterius propelluntur, & sic novâ vi ad-
ditâ per os satis violenter expelluntur. si autem
Vomit sit violentior protractiorque, Intestino-
rum tenuium, saltem duodeni, motus vermicularis
inversio accedere videtur, quâ eorum contenta
naturaliter versus saccum Coeci deferri solita in
ventriculum retro aguntur.

§. VII. Secundæ Classis (§. 5.) causæ censen-
tur convulsivæ contractiones muscutorum abdo-
minalium, qui sunt Obliqui externi, Obliqui in-
terni, Transversi, Recti abdominis, Pyramida-
lesque, in vomitu (ut quotidiana experientia ad
oculum docet) abdomen summa vi intro premen-
tes,

tes, constringentes, hinc abdominis cavitatem multum imminuunt, viscera ejus, hinc & Ventriculum maxime comprimunt, ejus parietes ad se invicem propius adducunt, ejusque motu antiperistaltico convulsive simul agente contentorum per superiora expulsionem summopere adjuvant. An autem Diaphragma simul cum dictis musculis in convulsionem rapiatur, disputatur inter Doctos, quorum plurimi hoc affirmant, quoniam autopfia illud in canibus vomentibus apertis demonstrare videatur, & sic vomitus optime explicari possit, cum hac ratione contentorum ventriculi, secundum hanc opinionem, inter Diaphragma & musculos abdominales convulsos, tanquam intra prelum positi, valida versus superiora ejectio facillime intelligatur; Alii hoc negant adserentes maxime dubium esse, an hocce ex convulsione nervorum aliorum abscissorum, dilaceratorum, irritatorum, in Diaphragma per consensum delata oriatur; urgent porro musculorum abdominalium quinque paria fortiter convulsa, ipsis videri obesse Diaphragmatis spasmus, & eum in animalibus vivis sub actu vomitus apertis observari ob abdominalium musculorum dissecatorum resistantiam, & actionem pro maxima parte imminutas. Quid proprie obtineat, altiori ingenio præditis determinandum relinquo.

§. VIII. Spasmodicam musculosæ ventriculi tunicæ constrictionem, a pyloro versus cardiam vi satis valida agentem in vomitu obtinere, immo vel solam absque partium circumjectarum auxilio eum pro-

producere posse per experimenta in vivis animalibus, post assumptum emeticum, apertis, capta docuit Celeb. *Wepferus in Histor. Cicut. aquat. Cap. 15. p. m. 281. & Cap. 8. p. m. 112.* Hinc vomitum duplici modo fieri, quibusdam placet, vel per causas primæ Classis (§. 6.) solas, ut in experimentis Wepferi mox citatis; vel per causas primæ & secundæ Classis (§. 7.) conspirantes, simulque unitâ vi agentes; sed rarissime priori modo vomitum observabis, nec nisi in paucissimis Emeticis, ventriculo modice repleto, cæterum fere semper musculos abdominales convulsive motos reperies.

§. 9. Convulsivæ partium (§. 6. & 7.) indicatorum contractionis Causa proxima videtur esse violentior spirituum per nervos in fibras harum partium musculares influxus & determinatio.

§. X. Investigatis breviter Causis Vomitus proximis, ad remotas accedimus, quæ sunt omne illud, quod extendendo, premendo, irritando nervos ventriculi, partes (§. 9.) aut facile convellenda viscera stimulat, sive Causa illa vellicans iis immediate applicata sit, sive aliis partibus opere nervorum iis communicantibus.

§. XI. Inter remotas referuntur I°. Esculenta & potulenta quæcunque nimia copia ingesta, præsertim majores solidorum boli nimis festinanter devorati; hisce enim Ventriculi fibræ maxime gravantur, & in convulsivum rapiuntur motum, ut materiem sibi molestantem excludant, hinc qui nimium Baccho & Ventri indulgent, toties inter

B

sym.

symposia & Comestiones, intemperantiæ suæ poenas luunt. II. Ingesta qualitate peccantia, qualia sunt nimis oleosa, pinguis, viscosa, indigestilia, acia in subjectis tenerioribus, sensilioribus. III. huc refer Venena.

§. XII. Huc pertinent variæ in ventriculo Saburræ, ut est I. Saburra pituitosa, glutinosa, mucosa in ventriculo fluctuans, quæ in filamenta sæpe divisa irritando nervorum papillas interioris stomachi tunicæ, eum in spasmum sollicitat. Hæc *Causas habet antecedentes farinosa cruda, austera immatura, inopiam boni sanguinis, debilitatem Vascularum, viscerum, bilis, imminutum motum animale, dissipationem liquidioris per laxata Vasa secermentia, retentionem crassioris debilitate instrumentorum excernentium.* ut habetur Aphor. 69. Divi Boerhaavii quondam Præceptoris mei æstimatedi.

II. Saburra acida magna copia collecta, sua acedine irritando ventriculum aliquando in Vomitum rapit; Hæcce causa frequentius in infantibus obtinet, in quorum stomacho lac suam sæpe sequens naturam acidum fit, & hinc coagulatur, compingitur in unam massam gravem, acremque, quæ sensim acrior, acidiorque facta, lacti ingesto labem communicat, totam tenellorum oeconomiam turbat, & inter plurima symptomata Emesin producit. Vide Boerhaavium Aph. 1354. & 1355.

III. Saburra acris putrida, oleosa rancida, biliosa, vario modo & gradu corrupta, ut est vitellina, porracea, æruginosa, isatodes, in febribus con-

continuis sæpe vomitus causa existit.

IV^o. Materiei Atrabiliaris per quamcunque causam in motum deductæ in ventriculi cavum depositio, cui in summum ferocitatis gradum evectæ nunc acrimonia acerrima acida, cum terrâ fermentans, metalla rodens, nunc acrimonia alcalina salina, aut oleosa putrefacta juncta est.

V^o. Vermes varii generis in ventriculo hospitantes, qui rependo, rodendo, terebrando vomitum producant.

VI^o. Sanguinis ex ventriculi vase quomodocunque aperto in ejus cavum effusio, qui vel quantitate, vel putrida acrimonia, si diutius stagnaverit, vomitui ansam dat.

§. XIII. Ventriculi inflammatio diræ Emeseos sæpe causa existit, cui si succedat suppuratio, vomitam vel tectam vel apertam producat, vomitui chronico causa nata est: vomica enim clausa pus retentum acre fit, vicina consumit, erodit, vellicat, & hinc fibras stomachi in spasmos irritat: vomica autem versus cavum ventriculi rupta, materies purulenta in illud effunditur, quæ si morâ acrior, putrida evaserit, similia producit; præterea si pars illa ulcerosa aperta ab acri attingatur, aut per ingesta extendatur, nemo non videt facile vomitum induci. Gangræna autem & Necrosis ventriculi inflammationi superveniens huc referenda, ut & scirrhi cancrique varias stomachi partes obfidentes.

§. XIV. In morbis contagiosis, Epidemicis, ut Variolis, Morbillis, febribus malignis, pestilentiali-

libus, ac exanthematicis initio sæpe vomitus gravissimi observantur; quoniam miasma per salivam, ut videtur, in ventriculum delatum ejus partes nervosas, & vascula obsidere in initio videtur, inque iis primam tragoediæ scenam ludere, immo ibi frequenter topicas excitare inflammationes; unde observant Practici, quod in peste vomitus plerumque cesset, ubi per superficiem corporis externam apertam larga sudorum, hinc & materiei venenatæ expulsio fit. Hinc ubi in morbo varioloso pustulæ efflorescunt, vomitus plerumque sublatus observatur, quoniam acre illud *ῥεῖον τι* prius ventriculo insinuat, ad corporis superficiem determinatum, depositum est.

§. XV. Vomitus sæpe funestus oritur, ubi materia arthritica, podagrica versus membra, aliasque partes minus nobiles deponi solita, a quacunque causa retinetur & in venticuli vascula deferatur, vel ubi eadem jam in loca sibi propria delata retropellitur per applicationem incautam narcoticorum, refrigerantium, constringentium, incrassantium; hinc quam providus in hisce Medicus esse debeat intelligitur.

§. XVI. Vomitus rariores causas aperta docuerunt cadavera, quales sunt duplex ventriculus, Ductus cholidochi vitiosa in ventriculum, vel nimis prope pylorum insertio; Pylori cavum nunc fere integre, nunc plane abolitum a tumoribus scirrhis, steatomaticis, nummis deglutitis, coactu, occalescentia cartilaginea. Has & plures alias causas in cadaveribus detectas ex observato-

ri.

ribus congeffit Clar. *Bonetus in Anatom. Pract. Tom. 2. Libr. 3. Sect. 8.*

§. XVII. Jam videamus quænam in aliis partibus hærentes causæ vomitum producant, quarum præcipuas tantum indicabimus, ne hæ pagellæ nimium increſcant. Huc redigi merentur;

I^o. Quæcunque intestina laceſcunt & in ſpasmos irritant, qualia ſunt (§. 12.) recensita; hæc enim intestinorum motum vel invertere, vel ventriculum mediantibus membranis & nervis communibus in conſenſum trahere poſſunt, hinc doloribus Iliacis, colicis, toties vomitus ſupervenit.

II^o. Quæcunque intestinorum cavum vel maxime imminuunt, vel integre tollunt, & hinc tranſitum chyloſæ & fæculentæ materiæ impediunt; hæc enim collecta, ſtagnando ſenſim acrior redditur, & tam copia quam ſtimulo intestinorum motum peristalticum invertere videtur, quo contenta eorum, præſertim ſi accedat muſculorum abdominalium convuſio, verſus ſuperiora minus reſiſtentia, & tandem in ventriculum propelluntur, qui tunc ſimiliter irritatur. Multiplices autem tales cauſæ habentur, quæ ſub titulo paſſionis iliacæ paſſim apud Auctores recensentur.

§. XVIII. Inter cauſas remotas numerantur.

I^o. Inflammationes Oeſophagi, viſcerum fere omnium abdominalium & partium circumjectarum, ut intestinorum, jecoris, pancreatis, lienis, meſenterii, omenti, renum, ureterum, veſicæ, diaphragmatis: irritatio enim harum partium facile communicatur ventriculo: præterea hiſce partibus

inflammatione correptis a ventriculo impleto fit pressio, irritatio, unde in convulsiones aguntur, quæ ventriculum in consensum rapiunt, qui mirus est inter viscera abdominalia, partim dependens a nervorum communicatione, consensu, partim a membranarum exteriorum continuatione: docent enim Anatomici omnia fere viscera abdominalia extimam membranam agnoscere unam eandemque continuatam a peritonæo derivandam, hinc mirus viscerum abdominalium inter se, præsertim autem cum ventriculo nervosissimo consensus.

IIo. Abscessus imprimis aperti pancreatis, mesenterii, hepatis, intestinorum, &c., qui partim pressione, præcipue autem matièrei purulentæ, saniosæ, amurcosæ in cavum intestinorum defluentis, & sæpe in ventriculum regurgitantis, irritatione vomitum producant.

IIIo. Earundem partium scirrhi, ut & cancri tam occulti quam præsertim ulcerati, materiem saniosam, subtilem, acerrimam, foetidam, cadaverosam, rodentem fundentes: huc refer tumores quoscunque partium ventriculo vicinarum.

IVo. Calculi renum, ureterum, vesicæ felleæ.

§. XIX. Varias capitis & encephali læsiones, morbos sequitur vomitus; sic Phrenitidem sæpe comitatur æruginosus, vulnera, contusiones capitis & cerebri biliosus. *Hippocr. Sect. 6. Aph. 50. quibus perscissum fuerit Cerebrum, his necesse est febrem & bilis vomitum supervenire.* Immo dolores vividi, & convulsivi aliarum partium motus, sæpe vomitum sympathicum per nervorum consensum

pro-

producunt, hinc in multis operationibus chirurgicis, ut depositione cataractæ, aliisque vomitus sæpe oritur.

§. XX. Vomitus producere valent, quæcunque inordinatum liquidi nervosi motum excitant, ut sunt I. Paroxyfmi Hyfterici, Hypochondriaci. II. Animi affectus imprimis calidi, ira, excandefcentia, qui vomitus biliofæ vario modo corruptæ materiæ sæpe producunt. III. Agitationes infuetæ, per navigationes, vectiones in curru, præfertim inverfas; concuffiones, circumgyrationes; hinc fi Domicellarum delicatularum fedile agites ipsis vertiginem, naufeam, fi pergas, vomitus produxeris; cauffa quandoque leviffima fpiritus turbando Emeticum evadit, fic fola pulveris Tabaci in nares fubtractio, in debilibus fexus amabilis fubjectis non affuetis, sæpe fpirituum motum ita perturbat, ut fequatur vomitus. Innumeræ fere cauffæ habentur quæ fpirituum motum turbando in debili, & facillime mobili genere nervofo præditis fubjectis, vomitus producunt, quorum enumerationi non immorabor, ne L. B. fastidium moveam.

§. XXI. Graviditas inter cauffas referri folet: gravidis enim primis præcipue geflationis menfibus vomitus familiarem efle, vel vulgo notiffimum eft, qui oriri præcipue videtur, quoniam in plerisque utero gerentibus fanguinis menftrui excretio ceffat, qui tamèn ab Embryone parvulo non poteft abfumi, hinc neceffario debet fieri plethora, quæ vafa ventriculi ut & vifcerum abdominalium

extendit, ipsis extensis dolorem creat, & sic has partes in convulsiones irritat, hinc ille vomitus circa quartum mensem plerumque cessat, quoniam plethora absumitur in nutrimentum grandioris tum facti foetus. Eadem ratio videtur esse cur sæpe puellæ a suppressione mensium, ut & viri a cessatione fluxus hæmorrhoidalis vomitu vexantur.

§. XXII. Datur & vomitus criticus maxime salutaris, quando natura materiem morbosam, in quibuscunque corporis partibus existentem, prægressa coctione præparatam, in ventriculum & intestina deducit, quo inde se per superiora levare possit, ut observant Practici circa dies criticos in febribus acutis, ut & intermittentibus, aliisque morbis.

§. XXIII. Visis præcipuis causis remotis, breviter percurramus ea, quæ vomitu rejiciuntur, ut sunt ingesta quocunque sub titulo, saburræ ab ingestis non bene assimilatis relictæ, quales sunt glutinosæ, acidæ, putridæ rancidæ, biliosæ; saliva, mucus oris partiumque vicinarum, faucium, oesophagi; subtilis humor ex arteriolarum in iis locis exhalantium finibus emissus; liquor gastricus in ventriculo semper præsens, ex ultimis arteriarum gastricarum finibus in ejus cavum apertis secretus; humor lentior, mucosus in glandulis gastricis separatus, & in ventriculi cavum excretus. His adde morbosa quæcunque, ut sanguinem, materiem purulentam, saniosam, gangrænosam, canerosam, vermes, lapillos &c. in ventriculo præternaturam constituta; hæc naturaliter vel etiam præ-

præternaturaliter in ventriculo præsentia in vomitu incipiente & leniori plerumque excerni solent, si vero idem sit violentior, diutius continuatus, contenta intestinis tenuibus ventriculo præsertim proximis, eo deferri videntur, & expelli, quæ sunt ingesta actiones manducationis, ventriculi, & intestinorum passa, mixta humoribus ibi naturaliter præsentibus, qui sunt liquor entericus, ex finibus vasorum arteriosorum exhalantibus, emissus; humor glutinosus ex glandulis Peyerianis separatus, & in cavum intestinorum excretus; humor ex Pancreate notabili quantitate per ductum Wirfungianum in duodenum insertum, depromptus; bilis cystica, hepatica, per ductum cholidochum in duodenum patentem, qui tres humores in Vomitu vehementi, protracto, insigni quantitate excernuntur. Quibus adde morbosa quæcunque in intestinis contenta, ut sanguinem, pus, faniem, ichorem gangrænosum, cancrosum, vermes similiave animalcula, lapillos &c. Fæces ex ipsis intestinis crassis nonnunquam Vomitu ejectas, quin & enemata, & suppositoria ano immissa, observant plurimi practici. vide *Celeb. Sydenh. p. m. 75. § p. 208. River. L. 10. Cap. 2. p. 294.* licet valvula Tulpiana ad finem Ilei posita, ita constructa, ut materiæ fæculentæ ex ileo in saccum cæci egressum concedat, regressum impediat, obstare videatur; sed in illis casibus illa valvula videtur fuisse aut relaxata, aut superata.

XXIV. Quum autem ventriculi & intestinorum tunicae in vomitu convellantur, hinc glandularum viscidus humor uberius secernitur, emungitur, humores ex arteriarum finibus, in eorum cavum apertis, largiori quantitate excernuntur, & siquidem, per alternatim repetitas musculorum abdominalium contractiones convulsivas, viscera abdominalia quam maxime premantur, concutiantur, agitentur, hinc humores in iis majori copia secernuntur, & in intestina derivantur, unde liquores pancreatici, & hepatici, & humores ex visceribus abdominalibus, sese in hepar evacuantibus, maxime emungi possunt. Hinc structurae & actionum corporis generis ratio maximae per vomitum violentum quantitatis ejectorum non latet.

§. XXV. Præter effectus evacuatorios, quosdam ex præcipuis nostro scopo accommodatos adjungemus, inter quos occurrunt motus sanguinis auctus, quod pulsus auctus, calor, sudoris expressio docent. Quandoque rubor, tumor oculorum, faciei, capitis, vertigo, sensuum obnubilatio, immo & Apoplexia Emesi fortiori superveniunt, quæ oriri præcipue videntur ab Aorta, & Vena Cava adscendente per convulsiones abdominalium (si vehementissimæ fuerint) nimis compressis, unde sanguinis versus inferiora iter ob majorem resistantiam maxime impeditur, hinc cruor per carotides externas, & internas, majori copia & impetu propellitur, unde vasa in externis conspicua valde implentur, distenduntur, hinc tument, rubent: vascula autem capitis & encephali repleta distenduntur,

tur, tument, & cerebri substantiam nervosam comprimunt; hinc spirituum motum impediunt, turbant, & sensuum obnubilationes, immo & Apoplexiam inducunt; quandoque cerebri vasa adeo distenduntur, ut rumpantur, liquida effundant, quæ compressione Apoplexiam funestam inferunt. Non raro vehementiori vomitui junguntur cordis palpitaciones, animi deliquia, sudores frigidi, ob tantam cordi resistantiam, per compressionem arteriæ aortæ natam, ut se evacuare non possit, hinc ejus palpitatio, animi deliquium, ejusque effecta. Violentiori vomitui superveniunt haud raro convulsiones aliarum partium, passio iliaca, hernia. Inter effectus vomitus pertinacis recensentur atrophia, debilitas, acrimonia alcalescens, siccitas, & quæ hinc sequuntur: si enim continuo ingesta rejiciuntur, fieri non potest, quin ob humorum assimilatorum jacturam, & defectum materiæ nutritiæ, corpus fiat atrophicum, emarcidum, exsiccum, humoribus concilietur acrimonia alcalinæ proxima: effectus enim nostræ naturæ est humoribus alcalescentiam, tanquam notam animalitatis characteristicam, imprimere; hinc si hæc valide pergat, nec humores diluantur, demulceantur per novam chylousam, blandam materiem, illa alcalescentia quam maxime augebitur, & alcalino proxima evadet, cujus effectus vide apud *Boerhaavium in capite de morbis ab alcalino spontaneo Aphor. 85. & 86.*

§. XVI. Diagnōsis vomitus, cum sponte pateat, ipsi explicandæ supersedere possumus, hinc ad signa causarum remotarum transimus, quibus si-

mul jungeris prognosin & curam, ne eadem repetendo B. L. molesti simus.

§. XXVII. Vomitus a causa (§. II. No. I.) ex relatione ægrorum patet, bonæ notæ est, nec statim sistendus, sed sibi committendus, quoniam hac ratione omne, quod molestum ventriculo, & cruditates producere posset, via breviori expellitur; nec quicquam ad curationem requiritur, quam ut, si non sufficiens sit, irritatione faucium leniori, aut ingestâ tepidâ melliatâ, salitâve promoveatur: vomitu autem facto gratiora acida, austriuscula, ut & aromatica spirituosâ exhibeantur, ut nausea aliquando permanens tollatur, ventriculi fibræ debilitatæ roborentur. Eadem fere obtinent in vomitu a causa (No. II.) indicata, nisi quod paulo potentius Emeticum, ut radix Ipecacuannæ, folia Afari, aut simile aliud, aliquando sit ingerendum, ut omne crudum expellatur.

Si autem Venena (No. III.) in causa sint, hoc innotescit Medico ex ægrorum adstantiumve relatione, vel conjicitur ex symptomatibus sævissimis concomitantibus, absque manifestâ causâ productis. Quodnam autem venenum assumptum sit, investigandum, ut antidotum, si habeatur, possit exhiberi. si autem Toxicum ingestum nec notum sit, aut ars nullum suppeditet antidotum specificum, conducit oleosa blandissima, mucilaginosâ, demulcentia, diluentia, magna copia successive ingerere, ut venenum, quantum fieri possit, mitigetur, diluatur, obtundatur, obvolvatur, expellatur: quin & Vomitorium promptissimum, ut est vitrio-

vitriolum album, in initio dare in multis casibus summæ utilitatis est, ut sic venenum quantum possit celerrime & integre evacuetur.

Ab hac causâ vomitus dubii & mali præfagii est. Periculi tamen magnitudinem determinant major minorque assumti toxici quantitas, major minorve vis deleteria, ejus longior aut brevior in corpore mora, violentia & multitudo symptomatum concomitantium, varia ægri temperies, constitutio.

§. XXVIII. Vomitus ex saburra glutinosa (§. 12. No. 1.) dignoscitur a causis antecedentibus ibi citatis, ex rejectione materiæ pituitosæ, glutinosæ, ex symptomatibus & signis prægressis, ut sunt prostratio appetitus lenta absque febre, gravitas, oppletio regionis epigastricæ, sensus repletionis, lingua, os, fauces pallidæ, lentore obductæ, alvus tarda, tumens, quibus si accedant pallor, frigus, gravitas corporis, reliquaque glutinosi spontanei signa, nullum dubium superest. Ex hac causa ortus vomitus plerumque proficius est, si quidem ejiciat materiem morbosam, copiam & qualitate, peccantem, molestam; unde & ægri levamen maximum inde plerumque persentiscunt. Hinc patet minime esse sistendum, sed potius per diluentia maritata saponaceis, incidentibus, resolventibus, quin & Emetica paulo potentiora adjuvanda, ut materies peccans eo melius educatur. Quum autem facile recidiva oriatur, ob debilitatem solidorum, inertiam bilis, humores lentiores, in ægris pituita laborantibus, obtinentes, ea exhibenda ex fonte Diætetico, quæ facilis concoctionis

nis, & glutini adversa sunt, ut cibi potusque bene fermentati, aromatibus & sale conditi, jura non nimis consummata, ut & carnes animalium agili-um: vitanda leguminosa, viscosa, farinosa non fermentata, dyspepta. Ex fonte Pharmaceutico subministranda ea, quæ humorum lentorem solvere, attenuare, inertiam bilis corrigere, aut ejus vices quodammodo supplere, solidorum laxitatem tollere, & amissum tonum restituere valent: quibus jungendus corporis motus per ambulationes, unctiones in rheda, equo, exercitia varia. Causa (No. II.) dignoscitur ex diæta prægressa, ex acidis acescentibusve in corpore ob quamcunque causam debili, laxo, dein ex labiis, gingivis, lingua, ore pallidis, ructibus acidis, stuporem dentibus sæpe inferentibus, cardialgia cum sensu frigoris, fame aucta. Hic autem vomitus aliquantulum sibi committendus videtur, quo irritans materia evacuetur; si vero nimias turbas & spasmos producat, per diluentia & oleosa infringere, obtundere, sæpe expedit, ut violentiora symptomata mitigentur, præveniantur: sedato impetu & materie pro parte expulsa, convenit materiam ulterius per absorbentia terrestria, absorbentia metallica, immutantia acidum, ut sunt salia alcalina tam fixa, quam volatilia subigere, in quorum tamen exhibitione prudentia requiritur, ut modica dosis tantum exhibeatur, alias hæc acido occurrentia nimiam effervescentiam, hinc spasmos, dolores, inflationes, tormina sævissima excitant.

Porro

Porro causæ acido ansam dantes vitandæ, corrigendæ, auferendæ. Hinc victus sit ex alcalescentibus, tam ex regno animali, quam ex vegetabili desumptus: medicamenta ingerantur, quæ viscera chylopoietica, ut & omnia solida corroborant; quibus simul corporis motus jungendus. Ubi autem infantes vomunt ob saburram acidam & materiem caseosam acrem, noscitur ex prægressis ructibus acidis, flatibus, borborygmis, fæcibus viridibus, materie caseosa viridescente sursum ejecta. Hic vomitus sæpe funestus in infantibus, quoniam dirissimæ convulsiones, Epilepsiæ, & pessima quæque symptomata sæpe junguntur. Annitendum autem ut acrimonia acida vel obtundatur per oleosa blanda, vel per absorbentia terrestria parcâ dosi, sæpius repetita, & coagulum resolvatur per saponacea artificialia, biliosa, ut bilem lupi piscis, anguillæ, similiumve, resolutum expellatur per purgantia simul roborantia. In hunc finem Practicis familiare est infantibus exhibere Mixturas ex aq. Carmin. additis lap. 69, corall. rubr. Sapon. Venet. & Rhabbarinis, vel similibus.

Qui vomitus a saburra biliosa acri putrida (No. 111.) oritur, noscitur ex diætâ antegressâ ex alcalescentibus, calidis, temperie biliosa, calidâ, ructibus nidorosis, amaris, graveolentiâ putridi, fordibus oris, linguæ, palati, faucium putridis, amaris, horrore adversus carnes, ova, pisces, pingua, appetitu acidorum, frigidorum, rejectione materiæ biliosæ putridæ amaræ, vario modo corruptæ, citrinæ, porraceæ, æruginosæ, isatodeos.

Ab

Ab hac causa vomitus sæpe pertinax jungitur febribus continuis, præsertim putridis. Vomitus autem hic facilius vel difficilius prognoſeos eſt, pro materiæ quantitate & corruptionis gradu majore aut minore, facilius vel difficilius evacuatione. Quod curam attinet, vomitus hicce ſi nullam topicam inflammationem in viſceribus, aut nullam læſionem cerebri ſimilesve morbos pro cauſa agnoſcit, ſi non ſit ſufficiens, promoveri debet per Emetica leniora, ut oxymel ſcilliticum, radicem Ipecacuannæ, obſervatis obſervandis, quo ſaburra acris putrida evacuetur, a qua expulſa ægri plerumque levamen ſymptomatum ſentiunt. Ingerenda quoque quæ bilis acrimoniam corrigunt, ut ſunt ſalia neutra, nitroſa, acida; acido auſtera gratiora, acida ex ſuccis horæis preſſis, eorum rob, conditis; acida ex foſſilibus igne producta, aquoſis diluentibus mixta. Quibus peractis vomitus plerumque tollitur: ſi vero nauſea & vomitus nimis urgeant, prioribus illis acidis opiata prudenter addere quandoque non abs re erit, obſervatis obſervandis, ut & externe applicare Epiſthemata ex reſicientibus acidis, addita parca lenioris aromatis, & narcotici quantitate. Ad vomitum ſedandum multum Riverio laudatur ſuccus citri cum ſale abſynthii mixtus, ſub actu efferveſcentiæ epotandus.

Cauſa (No. iv.) dignoſcitur ex ſignis morbi atrabiliaris prægreſſis, dein ex materia atrabiliaria picea ejecta. Hujus prognôſis variat pro tenacitate, copia in corpore, acrimonia & motu materiæ

riæ majoribus, minoribus, ita ut si materiæ minor copia in corpore adsit, ejus sit minor tenacitas, minor acrimonia, & minor motus, prognosis melior sit; si autem atrabiliaria hæcce materies vomitu ejecta piceam ostendat tenacitatem, junctam acrimoniæ summæ pessimus eventus est, siquidem tunc cum teterrimis symptomatibus jungi solet vomitus; & ad mortem durare. Quantum ad curam relegabo L. B. ad Cel. Boerhaavii *Aphor. in capite de Melancholia.*

Vermes (No. v.) in causâ esse conjiciunt Practici ex prægressis titillatione, frictione narium perpetua fere, morsus & arrosionis sensu circa regionem epigastricam, post ingestum cibum plerumque minuto, nausæa subito ortâ & sæpe improvise recurrente, pallore, emaciatione, debilitate, pulsu exili, intermittente, animi deliquiis, convulsionibus, insultibus Epilepticis, horrida in somno expergescentia, fame auctâ cum alvi nunc fluore, nunc adstrictione, ventris inflatione, & quæ plura sunt lumbricorum signa. Quantum ad curam, vomitus hujus curatio radicalis non datur, ut facile unicuique patet, nisi vermes per Antihelmentica, vario modo intus & extus exhibita enecentur, aut expellantur. Vomitus hic majus vel minus periculum portendit pro copia, magnitudine vermium, symptomatum junctorum, prægressorum violentia.

Vomitus ex causâ (No. vi.) allegatâ noscitur ex dolore tensivo, pungente circa regionem Epigastricam prægresso, ejecto per vomitum, cum sa-

D

tis

tis magna anxietate, sanguine, varii coloris & consistentiæ, prout diutius stagnaverit & majori copia effusus fuerit. Quoad Prognosin est periculosus; prout tamen majori copia effunditur sanguis, prout vel vas majus vel minus sanguinem emittit, prout causæ præcedentes graviores vel leviores sunt, eo præsagium benignius vel deterius ferendum. Ad curationem obtinendam sanguinis effusio sistenda, vasorumque apertura claudenda, & ad consolidationem perducenda: dein causæ speciales removendæ, sanandæ. Ad sanguinis effusionem sistendam V. S. revulsoria, pro necessitate repetenda, plerumque conducit; nec non ligaturæ membrorum ex arte institutæ, cucurbitulæ aliis partibus applicatæ, similiaque revellentia in usum vocari possunt. Externe autem regioni Epigastricæ imponenda adstringentia, interne exhibenda emplastica, leniora adstringentia, traumatica, & urgente necessitate opiata, quibus prudenter exhibitis, interpositis balsamicis, consolidatio vasorum molienda. Cautelâ autem hic opus, ne multum sive alimenti sive medicamenti simul ingeratur, quoniam tunc ventriculus, adeoque vasa ejus extenduntur, & ad solutionem continui facile perducuntur. Sanguinis effusione sublata, clysmata ex Eccoproticis injicienda, ut & lenissima Eccoprotica ore exhibenda, ut sanguis in primis viis effusus expurgetur; aliter enim stagnando putresceret, & pessima symptomata produceret. Causæ autem vasorum solutionis inquirendæ, & pro suo genio curandæ.

§. XXIX. Si ventriculi inflammatio (§. 13.) in
caus-

caussa sit, noscitur ex dolore ardente, pungente, lancinante, fixo in ipso ventriculi loco, aucto maxime ipso momento, quo aliquid ingeritur, vomitu acutissime dolenti statim ab omni ingesto, cum singultu dolorifico, anxietate summâ & perpetuâ circa præcordia, febris acutissimâ continuâ, ejusque symptomatum catervâ. Prognosis hic tristissima, quoniam hujus vomitus causa perniciosissima. Nulla hic medela superest, quam ut inflammationem resolvere omni ope conetur Medicus per validam sanguinis missionem, pro necessitate sæpius repetendam, medicamenta emollientia, antiphlogistica lenissima, successive parcissimâ copiâ ingesta, ne ventriculus distendatur; per applicata Emplastrâ, Cataplasmata, Epithemata emollientia, nitrosa, antiphlogistica, Enemata similia, sæpius in die injecta. Hic autem cane & angue pejus vitanda quæcunque acria & vomitoria, hæc enim citissime mortem hic inferunt.

Si autem inflammationi non resolutæ succedens suppuratio & abscessus ventriculi, causa est, noscitur ex inflammatione prægressa non resoluta, supervenientibus suppurationis signis, dolore ab ingestis aucto, vomitu materiæ purulentæ non diu a pastu, emaciatione, atrophia & febre hæctica.

Prognosis hic dura, quoniam ulcus ventriculi, nisi sit parvum, recens, & superficiale, vix curam admittit, & nisi sanetur, vomitus cum atrophia, lenta consumptione corporis, & febre hæctica, eo ægros deducit, unde neminem redire ajunt. Si abscessus clausus adhuc est, ejus maturatio & ruptio

versus ventriculi cavum per emollientissima procurandus, rupto autem eo tractandus, ut alia interna ulcera; solummodo notaverim, victum hic debere esse tenuissimum, lenissimum, detergentem, parcissima copia simul ingerendum, potum similem, uti jura carniū tenuissima, alterata herbis vulnerariis lenioribus, decocta oryzæ, hordei, panis, lac, ferum lactis, cum melle simplici, melle rosaceo, similibusque edulcorata. Medicamenta autem sint ex herbis vulnerariis, balsamicis lenioribus, abstergentibus, consolidantibus, aquis ferratis. Si autem vomitus hicce nimis sæviat, opiatīs moderandus.

Si autem scirrhus ventriculi in causa sit, noscitur ex prægressis ejus causis, ut est inflammatio ventriculi prægressa, absque resolutione, suppuratione sine bonis signis cessans, remanente sensu ponderis, tanquam si lapis ibi positus foret (ut ægri se exprimere solent), ab ingestis ventriculus moleste afficitur, dolet, nausea & vomitus sequitur sæpiissime. Quoad prognosin; vomitus hicce chronicus & pertinax est, mala plurima prædicit, & metum futuri canceri incutit. Cum scirrhus internus curam vix, ac ne vix quidem admittat, omni ope saltem annitendum, ut ejus incrementum impediat, & quæcunque causæ scirrhū in cancerum convertentes vitentur, præveniantur, quæ ex historia eorum morborum petenda; vide *Boerhaavii Aph. in Capite de scirrbo*. Notabo solummodo, quæcunque nimis acria, nimis moventia, irritantia, hic quam maxime nocere; si quidem hæc scirrhū

bee

benignum in cancrum horrendum mutant. Infelix ægrotorum scirrhis internis laborantium conditio sæpe est, si sese curæ ignorantium medicastro- rum committunt, quippe horum plerique ausibus temerariis quosvis morbos curandos suscipiunt, eosque remediis violentissimis, ut drastice purgantibus, emeticis violentissimis, sæpissime tractant; si jam scirrhi interni lateant, ut sæpe contingit, pessima & funesta oriuntur mala ab his cancrosis redditis per remedia illa acerrima, summe moventia. Quantum ad victum in scirrho ventriculi, hic sit mitissimus, lenissimus, eupeptus, parca copia simul ingerendus. Si autem vomitus hicce urgeat, narcotica exhiberi possunt ad hunc moderandum, & pejora symptomata præcavenda.

Si autem ex dolore lancinante, pungente, urente, scirrhum occupante, maxime aucto, simulac quid ingeritur, insequente statim vomitu, cancri præsentia pateat, anguis latet in herba, & magna malorum caterva expectanda est: si autem ex hisce adhuc auctis, & materia ichorosa, cancrosa, acerrimâ, foetidâ, cadaverosa rejecta, cancrum ulceratum esse constet, Prognosis tristissima, cum malum eousque profectum ipsius Apollinis opem respuat. Ad vomitum & sævissimos cruciatus leniendos blanda & demulcentia, motum sedantia, & narcotica exhiberi possunt.

Ubi autem gangræna & necrosis vomitum producit, noscitur ex prægressis causis, ut inflammatione ventriculi omnium acutissimâ, in qua symptomata subito sine causa & bonis signis ces-

fant, pulsu existente parvo, celeri, intermittente, frigore extremorum, sudore frigido, ejectione per vomitum materiæ ichorosæ, lividæ, atræ, cadaverosæ. Hunc autem Vomitum mortis instantis nuncium esse, neque ulla arte curabilem, nisi forsan per demulcentia & narcotica parum leniendum, facile patet.

§. XXX. Ubi autem Vomitus oritur a materie contagiosa (§. 14.) noscitur ex signis horum concomitantium morborum. Prognosis mala est, siquidem delassat, nihilque levaminis ægris plerumque affert. Quod curam attinet ea quæ emolliunt & vias lubricant in initio exhiberi possunt, præsertim si viæ primæ cacochymia obsessæ fuerint: acria autem emetica hic vitanda, quoniam stimulus satis magnus adest, & dispositio inflammatoria, immo & inflammatio ipsa sæpe præfens contraindicet. Cura autem fit per ea, quæ vel venenum domare, vel versus superficiem corporis determinare, excretiones exanthematicas promovere valent: quæ genio eorum morborum sunt accommodanda, & ex historia eorum petenda sunt.

§. XXXI. A materia Podagrica (§. 15.) retentâ, aut ab eadem repulsâ, & in ventriculi vasa deposita, Vomitus orti prognosis dubia. Ad hunc curandum, Medicus omnem navare debet operam, ut expellat materiem podagricam in membra & loca consueta, per femoribus oppositos synapismos, vesicatoria, ipsis locis, dolere assuetis, fomenta aromatica salina tepida, & similia attrahentia,

tia, interne autem exhibita Diaphoretica, per motum corporis & similia.

§. XXXII. Si autem pylorus multum angustatus, vel & plane occlusus, a causis (§. 16.) citatis, vomitum producat, causam vix, nisi conjiciendo, assequitur Medicus, ex vomitu continuo nunc breviori nunc longiori a cibis sumtis intervallo, absque causa manifesta, nulli remedio cedente; ex conjuncta debilitate, atrophia, emaciatione, alvi excrementis sensim sensimque paucioribus ejectis, imminutis, & tandem vix intra mensem emissis. Prognosis hic dura; quoniam hic ex atrophia & nutrimenti defectu mors expectanda. Quod curam attinet, illa consisteret in ablatione causarum obstruentium: sed quum causæ hæ vix cognoscuntur, immo si jam notæ essent, curabiles non sunt, saltem rarissime, patet curæ difficultas; Medicus tamen adhibere poterit ea, quæ causis contraria sunt. Ingerantur tantum cibi liquidi, omnium facillime digestiles, & ita fere præparati, ut actiones corporis facere solent, parcissimâ, sed sæpe repetita manu, injicienda clysmata nutrientia, applicanda corpori fomenta, balnea ex nutrientibus conflata, ut, quantum possit fieri, corpori nutrimentum subministraretur, & æger sustineatur.

§. XXXIII. Vomitus autem ortus ex causis irritantibus, morbisque in aliis locis hærentibus, ventriculum in consensum rapiantibus, (§. 17, 18, 19.) indicatis, noscitur ex signis horum morborum concomitantium: prognosis sequitur horum morbo-

morborum periculum, genium. Cura autem dependet ab ablatione & sanatione eorum morborum, quæ ex historia eorum petenda est: hæc enim singulatim percurrere nimis longum & a scopo alienum foret: notaverim solummodo, quod, si remotio causarum vel non, vel non satis cito fieri possit, Vomitus urgenti occurrendum sit prudenter, nunc demulcentibus, anodynis, narcoticis, antispasmodicis, nunc stomachicis roborantibus, prout morborum concomitantium conditio fert.

§. XXXIV. Vomitus, qui (§. 20.) oritur a Paroxysmis Hystericis, Hypochondriacis, sibi parumper relinquendus, si saburra in primis viis adsit & hanc viam affectet; cæterum vero per Antihysterica, opiata, stomachica roborantia intus, extus exhibita compescendus, quod plerumque succedere solet. Si vero vomitus biliosus superveniat animi pathematibus calidis, exulare debent acria purgantia & emetica, siquidem inde effecta funestissima producantur, ut *Cl. Hofmannus* docet in *Opusc. Med. Pract. Dec. 2. Dissert. 6.* Ad hunc autem sedandum præscribenda ea, quæ bilis acrimoniam corrigere, demulcere valent, qualia sunt mucilaginosæ, oleosæque, diluentia, nitrosa, acida tam ex vegetabilibus, quam ex mineralibus, diacodiata; Ecceprotica autem ex rhabarbarinis, cassia, tamarindis &c. ad bilem per inferiora leniter evacuantem conveniunt. Si vero agitationes insuetæ in causa fuerint, illis cessantibus & vomitus cessare solent,

solent. Verum ad eum præcavendum, vel & moderandum, conveniunt ea, quæ fibras roborant, spirituum motum in ordinem ducunt, hinc haustus frigida, usus acido austerorum gratiorum, spirituosorum, aromaticorum, stomachicorum roborantium, ut & opiatorum.

§. XXXV. An autem causa adsit (§. 21.) descripta, difficile est dignoscere: plura tamen concurrentia graviditatis signa hoc probabile reddunt. Quoad prognosin; practici notant imprægnatas vomitum huncce, si modum non excedat, plerumque facile ferre: si vero nimis violentus & sæpe repetitus sit, metum incutit, ne ob inopiam novi chyli, humoribus cacochymia, & ob hanc, ut & ob concussiones validas, abortus producat. Si ergo vomitus hi primis mensibus nimis violenti fuerint, plethora adsit, mulierque multum cruoris menstrui evacuare solita fuerit, v. s. in brachio, prudenter instituenda. Diæta sit tenuis, refrigerans; imperanda quies animi & mentis; veneris usus suspendatur, vel saltem parcissimus sit. Medicamenta sint temperantia, blanda.

§. XXXVI. Vomitus criticus noscitur ex signis coctionis & criseos prægressis, insequente circa dies judiciales evacuatione materiæ morbosæ, cum euphoria, symptomatum levamine, morbi solutione. Hicce vomitus optimi prælagii est, & quoad curationem nihil requirit, quam ut viæ lubricentur, emolliantur diluentibus saponaceis;

E

quo

quoniam natura hoc in casu plerumque sibi sufficit. En B. L. qualemcumque dissertatiunculam eo scopo conscriptam, ut Legibus Academicis obedirem: in qua si quæ bona, hæc clarissimis Professoribus, eorum, ut & optimorum auctorum scriptis, accepta refero; si quæ male interpretata, omissa, ea mutare, supplere velis, etiam atque etiam rogo.

F I N I S.



ANNE-

A N N E X A.

I.

Emeticum in acutarum febrium initio, observatis observandis, saepe est summe necessarium.

I I.

Vomitum vomitu curare generaliter non procedit.

I I I.

Morbum variolosum per methodum generalem antiphlogisticam absque suppuratione posse curari, nondum firmiter demonstratum videtur.

I V.

Corpora confortant balnea, Bacchus, amor.

A N N E X A.

Eractum in annuam febrium initio, observ-
is observanda, Jape est summe necessarium.

I.


Vomitus vomitu curare Generaliter non pro-
cedit.

II.

Morbus catarrhalis per anticholus generalem
multiplicem etiam suppuracione posse ex-
ari, nondum summe demonstratum vide-
tur.

III.

Corpora constantia bilinea, Baccus, amor.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

SYNOPSIS OF THE
COURSE OF INSTRUCTION

IN THE
SCHOOL OF THEOLOGY

BY
EDWARD H. HOLLIFER

CHICAGO
THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

1900

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS